



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Petri Danielis Huetii Demonstratio Evangelica**

**Huet, Pierre Daniel**

**Parisiis, 1679**

I. Quo sensu dicantur Prophetiae post Christum desitae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-16260**

calum suscipere usque in tempora restitutionis omnium; qua locutus est Deus per os sanctorum suorum à seculo Prophetarum. Moyses quidem dixit, quoniam Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris; tanquam me ipsum audietis, juxta omnia quaecumque locutus fuerit vobis; erit autem: omnis anima qua non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe. Et Act. 7. 37.

Judei Messia, Ethnici Christo Jesu prophetiam facultatem adscribunt. Orig. libr. 1. cont. Cels.

I. **I**NTER Messia virtutes, prophetiam facultatem non postremam recentent Thalmudistæ. Quin & futurum perhibent ut Messias de odore virum nequam à probo fecernere possit & internoscere. Atqui facultate floruisse Jesum ne Ethnici quidem infitiati sunt. Falsus est id quidem Phlegon Trallianus in Chronicis, teste Origene. Sed quid testimoniis pugnare attinet, cum nos plerasque Jesu prophetias, ab Evangelistis memoriae proditas, & hoc capite à me expositas, in exoticis historiis, Evangelio recentioribus, eventu comprobatas fuisse legamus? Cum autem initio operis hujus prophetiam facultatem à Deo solo esse, tanquam axioma vulgo receptum ac confessum sumserimus, sequitur Christum Jesum à Deo afflatum ac veracem fuisse. Atqui se ipse Messiam dixit: unde sequitur vere Messiam fuisse.

## CAPUT XXX.

Prophetia post Jesum desita.

DAN. 9. 24. Septuaginta hebdomades abbreviata sunt super populum tuum, & super Urbem sanctam tuam, ut consummetur peccatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungetur Sanctus sanctorum.

MATTH. II. 13. Omnes enim Prophetae & Lex usque ad Johannem prophetaverunt. Et Luc. 16. 16.

Quo sensu dicantur propheta post Christum desita. Hier. in Matth. 11.

I. **D**E prophetiis hic agimus, adventus Christi prænuntiis. Vaticinia protulisse Agabum, & quatuor virgines Philippi filias, Apostolorum Acta referunt. Quid aliud esse dicas Apocalypsin Johannis, quam futurorum prædictiones? Quando ergo dicitur, inquit Hieronymus, Omnes Prophetae & Lex usque ad Johannem prophetaverunt, Christi tempus ostenditur, ut quem illi dixerunt esse venturum, Johannes venisse ostenderet.

## CAPUT XXXI.

Jesus pastor.

PSALM. 94. 7. Ipse est Dominus Deus noster, & nos populus pascuae ejus, & oves manus ejus.

Isa. 40. 10, 11. Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur: ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo. Sicut pastor gregem suum pascet: in brachio suo congregabit agnos, & in sinu suo levabit, fetus ipse portabit.

Isa. 53. 6. Omnes nos quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit, & posuit Dominus in eo iniquitatem omnium nostrum.

Jerem. 31. 10. Qui disperdit Israël, congregabit eum; & custodiet eum, sicut pastor gregem suum.

MATTH. 25. 32, 33. Congregabuntur autem omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hædis: & statuet oves quidem à dextris suis, hædos autem à sinistris.

Matth. 26. 31. Tunc dicit illis Jesus, Omnes vos scandalum patiemini in me ista nocte. Scriptum est enim, Percutiam pastorem, & dispergentur oves gregis. Et Marc. 14. 27.

Joh. 10. 11, & seq. Ego sum pastor bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis: mercenarius autem & qui non est pastor, cujus non sunt oves propriae, videt lupum venientem, & dimittit oves, & fugit: & lupus rapit & dispergit oves: mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ovibus.